

6. *HIERACIUM STRICTUM.* *m.*

H. tenuissime arachnoideo-lanuginosum, caule folioso stricto pauci- (1—6) floro, foliis oblongis integerrimis vel dentatis; caulinis angustioribus, pedunculis squamatis, anthodio imbricato: foliolis exterioribus interioribus conformibus parum minoribus.

H. strictum. *Ledeb. Ic. pl. Fl. ross. alt. illustr. t.* 380.

Hieracium caule superius ramoso, foliis paucis lanceolatis. *Gmel, Fl. sib. II. p.* 30. *No.* 26. *t.* XIII.

β. lanatum.

Hab. in insulis Kuraicis fl. Tschuja (*B.*); (ad fl. Lena (*Gmel.*))
Fl. Jul. 24.

Radix videtur repens, e quovis capite caulem emittens, solitarium, 5—8-pollicarem, erectum, strictum, inferne violaceum, striato-sulcatum, foliatum, ultra medium simplicissimum, apice modo in ramos aliquot seu potius pedunculos 2—6 divisum, modo simplicissimum, uniflorum, uti omnes plantae partes tenuissime arachnoideo-lanuginosum. *Folia radicalia* oblonga, basin versus attenuata, apice parum subinde latiora, 1—1½ pollices longa, 3 lineas lata, saepius acuta et margine dentata: dentibus plerumque deorsum spectantibus, rarius obtusa et margine integerrima; *caulina* per totum caulem intervallis ipsorum circiter longitudine sparsa; *inferiori* radicalibus simillimo; superioribus sensim minoribus. *Pedunculi* in speciminibus 1- vel 2-floris 1 vel 1½ pollicares; in speciminibus multifloris 2-pollicares, squamis foliaceis obsiti. *Anthodium* imbricatum: *foliolis exterioribus* paucis, forma interiorum sed parum brevioribus; omnibus lanceolatis, per costam mediam pilis aliquot nigricantibus obsitis, margine submembranaceis. *Corollulae* etiam post exsiccationem flavae, apice truncatae, dentatae: *dentibus* abbreviatis. *Pappus* albus.

Proxime ad *H. staticefolium* *) accedit, pluribus autem notis haud aegre dignoscendum. Caules in quovis radicis capite solitarii nec fasciculati, etiam in inferiori parte, ubi rami vel potius pedunculi nulli proveniunt, foliis instructi; folia latiora et nisi integerrima, dentibus crebrioribus saepe deorsum spectantibus praedita; pedunculi densius squamosi; flores minores; anthodium imbricatum: foliolis exterioribus paucis latitudine et longitudine fere interiorum, nec, ut in *H. staticefolio*, subinvolutum: foliolis exterioribus numerosis linearibus ad basin anthodii congestis patulis; corollis apice minus profunde dentatis, post exsiccationem adhuc flavis nec virescentibus.

Var. β. e solo aridissimo orta videtur. Tota planta minor, caule abbreviato ramisque sive pedunculis magis elongatis dense lanatis, foliis nonnihil brevioribus et latioribus, glabrioribus; praeterea non divisa.

7. *HIERACIUM MURORUM.* *Linn.*

H. pilosum, caule paucifolio, foliis radicalibus ovato-oblongis dentatis longe petiolatis; caulinis subpetiolatis, pedunculis patentibus subcorymbosis, anthodio densius piloso.

H. murorum. *Linn. Willd. Spec. pl. III. p. 1577:*
— *Spreng. Syst. veg. III. p. 640. No. 37.* — *M. a Bieb. Fl. taur. cauc. II. p. 252. No. 1610.* —
Besser En. pl. Volh. p. 31. No. 1005.

Hieracium caule ramoso, foliis radicalibus ovatis dentatis, caulino minori. *Gmel. Fl. sib. II. p. 25: No. 22.*

*) Hujus diagnosis sic erit mutanda:

HIERACIUM STATICEFOLIUM. *All.*

H. adultum glabrum, caule praeter ramificationes aphyllas subtrifloro, foliis oblongo-linearibus integerrimis vel remote denticulatis; caulinis veris nullis; subalaribus minutissimis, pedunculis squamosis, anthodio squamis linearibus numerosis subinvolutato.